



† R. P. Eduardus Weigel (1851–1937)

(*Prov. Baltimorensis*)



Die 29 Ianuarii 1937 felici morte in Domino quievit dilectissimus noster confrater, qui non tantum propter diuturnam vitam, sed etiam propter munia sibi concredita et labores apostolicos impletos erat insignis.

Natus est in urbe Roffa (*Rochester*) die 7 Maii 1851 in paroecia nostra S. Ioseph piis probatisque parentibus. Nam pater eius Dr. Michael Weigel — natus d. 20 Aprilis 1828 in Weyler, Bavaria — non solum sortitus erat optimam educationem in gymnasio Spirensi et universitate Friburgensi ad exercendam artem medicinam, sed erat etiam vir vere religiosus et Matri de Perpetuo Succursu valde devotus. Quam devotionem ostendit procurando ecclesiis in Scottsville — d. 25 Decembris 1871 — et Penfield — d. 6 Maii 1872 — quae tunc a Patribus nostris Roffensibus curabantur, imagines de Perpetuo Succursu, et id quidem antequam venerabilis imago in nostra ecclesia Roffensi devotioni fidelium d. 13 Aprilis 1873 exposita est. Praeterea quotidie commendabat primogenitum suum Eduardum Matri de Perpetuo Succursu, S. Ioseph et S. Alfonso.

Mater dilecti confratris Veronica Aman nata erat Roffae d. 20 Septembris 1832, eodem anno, quo primi Patres in Americam venerunt, et ad dioecesim Cincinnatensem proficiscentes Roffam pertransierunt. Cum Eduardus erat octo annos natus, mater mortua est, relinquens bonum exemplum omnibus qui cum ea conversati erant. Pater secundas nuptias

<sup>1</sup> *Reichspost* 1937, n. 325.

iniit cum Barbara Freidel, quae etiam erat mulier omnibus virtutibus christianis ornata, marito et liberis eius plane devota.

Primis literis Eduardus imbutus est in schola parochiali sub cura magistrorum saecularium, deinde a mense Augusto 1861 a Fratibus Marianistis. Ad sacram mensam primo accessit d. 25 Maii 1863, et die 28 Iunii eiusdem anni a primo Episcopo Buffalensi Ioanne Timon, C. M., munitus est sacramento confirmationis. Deinde academiam S. Patritii sub cura Fratrum Scholarum Christianarum frequentavit. Anno 1865 coepit laborare in una ex tabernis medicinalibus patris sui. Ad quod negotium ut se melius praepararet, anno sequenti ingressus est collegium Lazari-starum in oppido « Suspension Bridge » prope cataractas Niagara.

In hoc collegio se totum devovit studiis praescriptis, ita ut vel primum locum obtineret vel inter primos renunciaretur. Etiam in musica arte excellebat; scite enim poterat et fidibus canere et bucina. Dum autem saecularibus studiis incumbit, pro viribus non praetermittebat aeterna. Uti patet ex epistola R. P. Laurentii Holzer, data Detroit d. 7 Iunii 1867, iam tunc confrater noster se vocatum existimabat ad sacerdotium; nam P. Holzer ad eum rescripsit de ingrediendo post cursum philosophicum Collegio Americano Romae constituto.

Ad dignoscendam Dei voluntatem in re tam gravi Eduardus eodem a. 1867 (et iterum a. 1868) fecit exercitia spiritualia. Simul statum religiosum desiderare coepit. Cum eius director spiritualis, R. P. J. T. Landry, C. M., approbaret vocationem ad C. SS. R., iam anno 1867 cogitabat de ingrediendo nostro Instituto. Rem tractavit cum PP. Van Emstede, Holzer, Leimgruber, et mense Decembri 1868 accepit epistolam a P. Ruland, Rectore domus Roffensis, de sua admissione. Die 3 Februarii 1869, examinibus feliciter superatis, reliquit seminarium. Testimonialis studiorum charta subsignata est a P. Landry, qui in adiecta annotatione scripsit: « Eduardus per hunc annum erat puer optimus; abit cum optimis suorum praeceptorum omnibus » <sup>1</sup>.

Omnibus igitur rebus paratis valedixit confrater noster patri, propinquis et amicis, et d. 22 Februarii profectus est Baltimoram, in qua urbe initio habitabat cum aliis discipulis in « Academia S. Alfonsi » seu iuvenatu nostro. Inter Patres illi domui tunc adscriptos erat R. P. Tschenhens, qui solus supererat ex primis Patribus in Americam a. 1832 appulsis et vixit usque ad a. 1877. Ergo P. Weigel fuit ultimum vinculum huius nostrae aetatis cum primis Patribus. Ultimus etiam fuit Redemptorista Americanus, qui studiis incumberet in veteri Academia S. Alfonsi; nam d. 22 Aprilis 1869 iuvenatus translatus est ad scholam S. Iacobi, ubi logica formalis

<sup>1</sup> *Edward has been a very good boy during this year; he leaves with the best wishes of all the faculty.*

discebatur a iuvenistis maturioris aetatis, praeter scientias naturales. In testimonio d. 11 Iulii 1870 a P. Superiore Anwander subsignato legitur: «Aptus est ad incipiendam philosophiam. Lectio optimorum latinitatis auctorum ei utilis foret».

Post ferias Baltimorae transactas Eduardus noster novitiatum Annapoli situm ingressus est et habitu Congregationis indutus d. 1 Septembris 1870. Magister novitiorum erat P. Henricus Dauenhauer, acer hominum animadversor, ita ut videretur mores naturamque novitiorum ex oculis pernoscere; qui magna prudentia etiam sciebat temperare severitatem vitae religiosae tempestitiva animi remissione. Post annum sub tam sollerti magistro transactum Eduardus ad vota admissus est d. 1 Septembris 1871 et proximo die una cum Fr. Sigl profectus Ilchestriam. Cum hi duo cursum humanitatis et logicae formalis in collegio nascenti praeparatorio iam complevisset, apti iudicati sunt studio theologiae dogmaticae quam primum incipiendo. Qua de causa per sex menses sub P. Nicolao Firle, quantum poterant, philosophiam percurrerunt, simulque sub Patre Holaus historiae ecclesiasticae operam dederunt. Deinde theologiae dogmaticae studium sub Patre Saftig aggressi sunt.

Dum Fr. Weigel erat studiis occupatus Ilchestriae, dilectus eius pater d. 30 Iunii mortuus est Roffae. Missa exsequialis celebrata est a P. Rectore Ruland, P. Firle Praefecto studentium diacono, subdiacono Fr. Weigel, qui anno superiore d. 26 Martii Ordines minores susceperat. R. P. Michael Mueller mortuum breviter laudavit.

Die 20 Maii 1875 quattuordecim clerici, e quibus Fr. Weigel erat natu minimus, sacerdotio aucti sunt ab Ex<sup>mo</sup> et R<sup>mo</sup> Iacobo Roosevelt Bayley, Archiepiscopo Baltimorensi, in sacello Ilchestriensi. Die 23 Maii — in festo SS. Trinitatis — primam Missam in ecclesia S. Iacobi Baltimorae cantavit. Mense Augusti 1875 cum duobus aliis delectus est ad munus docendi in iuvenatu tunc Ilchestriae stabilito. Praesertim sub cura P. Weigel, qui bene versatus erat in arte musica et iam tunc cantum Ecclesiae pro viribus promovebat, cantus ecclesiasticus doceri atque exerceri coepit.

Die 19 Iunii 1877 profectus est Annapolim, ut perageret II novitiatum moderante veterano illo missionario P. Iosepho Wissel. Secundus novitiatu illo anno aliquantum abbreviatus est propter adversam valetudinem nonnullorum Patrum et mortem duorum. Die 25 Octobris igitur P. Weigel assignatus est domui ad S. Iacobi, cuius Rector erat R. P. Henricus Dauenhauer. Primis annis occupatus erat P. Weigel in variis officiis domesticis et paroecialibus, tamen auxilium praestitit in missione in ipsa ecclesia S. Iacobi tradita mense Februario 1878. Iam anno 1881 Minister domus factus est et decursu eiusdem anni intererat octo missionibus, e quibus tres traditae sunt in ecclesiis cathedralibus Neo-Ebora-

censi, Brooklynensi et Novarcensi. Anno 1882 uni tantum missioni adfuit, sed annis 1883 et 1884 auxilium praestitit in quattuordecim missionibus, in quibus ecclesiae cathedrales S. Ioannis, in Nova Scotia Canadae, Portus Gratiae (Terra Nova), Cincinnati, Columbus (Ohio).

Triennialibus nominationibus in fine mensis Maii 1884 promulgatis, P. Dauenhauer Rector ecclesiae S. Alfonsi Baltimorae est praepositus, et eodem tempore P. Weigel adscriptus est domui Annapolitanae missionarius. Usque ad translationem suam ad domum S. Alfonsi Neo-Eboraci P. Weigel missiones Anglice et Germanice 35 tradidit, praesertim in Statu Ohio.

E Neo-Eboraco pergebat opus missionarii, praesertim in parte Status New York orientali, et usque ad d. 30 Aprilis 1889 intererat 34 missionibus, inter quas missioni in ecclesiae cathedrali Neo-Eboracensi, a die 13-28 Martii 1887.

Anno 1888 a die 8-29 Ianuarii praeerat missioni maximi momenti in ecclesia S. Stephani Neo-Eboraci traditae. Rector ecclesiae tunc erat Rev. Carolus Colton — postea Episcopus Buffalensis — qui locum obtinuerat Rev. Eduardi McGlynn, propter gravissimas causas suspensi et nominatim excommunicati. Attamen pars parochianorum ei favebat et contumaciter adhaerebat. Missio autem exitum habuit felicissimum, nam plurimi fideles, etiam eorum qui sacerdotem excommunicatum secuti erant, poenitentes reversi sacramenta receperunt in ecclesia propria. Confessiones exceptae sunt 8375; communiones 11000; casus matrionales 24; conversi ad fidem 13. In fine missionis Archiepiscopus Michael Corrigan sacramentum Confirmationis administravit 240 fidelibus, quamquam ante quattuor hebdomades idem sacramentum administraverat 500. Tantus vero missionis successus, praeterquam orationibus quae fere ubique tempore missionis ad Deum effundebantur, attribuendus est zelo summaeque 10 missionariorum prudentiae.

Valetudine aliquantum continuis laboribus infirmata P. Weigel initio a. 1889 translatus est Pittsburgum et mense Octobri Buffalum. Recuperatis viribus iterum exiit ad missiones tradendas, praesertim in parte Status New York occidentali. Buffalensi domui adscriptus remansit usque ad mensem Maium 1893. Sex annis 1888-1894 incubuit laboribus apostolicis saltem per 220 hebdomades.

Cum triennales nominationes fierent anno 1893, P. Weigel renunciatus est primus Rector domus ad S. Petri Apostoli in urbe S. Ioannis, provinciae Canadensis Neo-Brunsvicensis. Non erat omnino alienus in illa provincia, quippe qui ante decem annos missiones ibi tradidisset. In urbem S. Ioannis advenit d. 27 Maii 1893 et statim partes agere incepit boni pastoris. Mense Decembri eiusdem anni renovatio missionis habita est, in qua 1926 fideles ad sacrum tribunal accesserunt. Ut fructus missionis

melius perseverarent, Apostolatus Orationis (vulgo *League of the Sacred Heart*) institutus est cum maximo successu (fere 2 000 sodalium).

Archiconfraternitas de S. Familia, quae paulatim elanguerat, etiam revixit propter serias et arduas missionariorum (R.R. PP. Sheehan et Corduke) contiones. Non solum autem providebat profectui ecclesiae sibi commissae spirituali, sed etiam materiali; nam ecclesia interius exteriusque quasi innovata est, presbyterium ecclesiae adornatum; magna etiam pars debitorum soluta.

Triennali Superiorum mutatione mense Aprili 1898 facta, Rector domus ad S. Bonifatii Philadelphiae constitutus est. In illa paroecia tunc valde desiderabatur schola nova. Brevi igitur post adventum suum hoc opus aggressus est et inceptum tam bene successit, ut novum aedificium benediceretur d. 15 Septembris 1901 ab Episcopo Auxiliari Philadelphensi Edmundo F. Prendergast. Quam necessaria esset nova schola, ex eo videri potest quod iam primo die 1000 parvuli eam frequentarunt. Eodem tempore domus qua utebantur Sorores Dominae Nostrae penitus innovata est.

Praeterea P. Weigel bis fuit Praefectus II novitiatus. Expleto secundo triennio Rector missus est Ilchestriam per triennium 1904–1907, quo elapso nominatus est Consultor P. Provincialis Gulielmi Luecking.

Cum ecclesia nostra erecta a. 1873 in suburbio Baltimorae *Highlandtown* decursu temporis nimis angusta evasisset, Antistes Baltimorensis Iacobus Cardinalis Gibbons vehementer desiderabat ut nova et amplior ecclesia aedificaretur. Superiores autem optimum iudicaverunt ad hoc opus Patrem Weigel designare, et mense Septembri 1907 Superior constitutus est domus in Highlandtown. Una cum ecclesia etiam erigenda erat nova domus Patrum curam ecclesiae habentium. Lapis angularis ecclesiae positus est d. 4 Octobris 1908. Post paucos dies, d. 13 Octobris — die onomastico suo — P. Weigel posuit lapidem angularem novae domus communitatis, quae omnibus rebus necessariis ornata apparuit mense Ianuario 1910. Propter pecuniae inopiam, novae ecclesiae inferior tantum pars completa et ad servitium divinum est parata. Die 31 Octobris 1909 benedicta est a P. Provinciali Ferdinando Litz, nomine et auctoritate Eminentiae Suae.

Usque ad diem 9 Octobris 1910 domus in Highlandtown erat solummodo hospitium. Illo die Rm̄s P. Generalis Patritius Murray invisit illam ad Benedictionem Apostolicam nobis et gregi nostro impertiendam. Haec caerimonia cum magno splendore peracta est in ecclesia nova post Missam sollemnem. Postea alloquens Patres et Fratres in novum domum congregatos, annuntiavit se uti hac occasione ad elevandam communitatem SS. Cordis a gradu hospitii ad dignitatem rectoratus, et illico nominavit et constituit Patrem Weigel primum Rectorem.

Veterem ecclesiam in scholam immutatam P. Weigel benedixit d. 16 Octobris 1912, quam tum 833 parvuli frequentabant. Cum magno bello exorto

superior pars ecclesiae finire non posset, P. Weigel incepit pecunias ad hunc finem persequendum colligere. Die 11 Iulii 1914 translatus est Brooklynium ad residentiam Provincialis Consultor-Admonitor. Benedixit novam ecclesiam SS. Cordis nomine Exm̃i Archiepiscopi Michaelis J. Curley in festo SS. Trinitatis d. 11 Iunii 1922. Hac occasione etiam verba fecit ad fideles numerosissime congregatos, eloquenter exponens significationem domus Dei et pro merito laudans bonam fidelium voluntatem, quae erexerat tam grande monumentum fidei.

Anno 1919 vocatus est Romam Vice-Postulator in Causa Beatificationis Ven. Ioannis Nep. Neumann, et anno 1920, post mortem Pl. R. P. Iosephi Schneider, renunciatus est Superior Provinciae Baltimorensis, maximae inter omnes Congregationis Provincias. Eius regendi ratio insignita erat benigno illo spiritu ac paterno, qui quasi naturalis ei videbatur. Cum d. 26 Aprilis 1921 Capitulum Generale XII convenisset, P. Weigel ei ex officio interfuit. In Capitulo eius opiniones magnam habebant vim ob eius sollertiam insignem maturamque septuagenarii experientiam.

Novis nominationibus factis a. 1921, P. Weigel iterum designatus est Consultor-Admonitor novi Provincialis Pl. R. P. Barron. Brooklynii celebravit aureum iubilaeum tum professionis tum sacerdotii, ibique mansit usque ad annum 1927 quo, annos 76 natus, domui ad Imm. Conceptionis B. V. M. Neo-Eboraci adscriptus est. Haec ecclesia est adhuc hodie centrum quo multi fideles conveniunt, tum ut intersint devotionibus publicis, tum ut confessiones peragant. P. Weigel indefessus erat in obeundis muneribus sibi assignatis; in praedicando, in conferentiis tradendis, praecipue in confessionibus audiendis qualibet hora. Annis 1931 et 1935 egit iubilaea professionis et sacerdotii adamantina. Primus fuit Redemptorista in America natus, qui haec iubilaea agere potuerit, et tanto corporis robore, ut Missam sollemnem ipse cantare posset.

Praeter labores apostolicos P. Weigel, sequens exemplum patris sui, qui etiam scribebat articulos pro ephemeridibus catholicis, multos articulos decursu vitae scripsit; iam a. 1876 in folio *Caecilia* de rebus musicis, post in ephemeride Germanica *Katholische Volkszeitung* (Baltimore) de educatione christiana, de quaestione sociali etc.

Verbi divini praeco erat abunde auctus ornatusque cum virtutibus supernaturalibus tum dotibus oris, corporis, ingenii naturalibus. Canora praeditus voce vehementer commovebat audientium animos facilitate orationis tam lingua Anglica quam Germanica. Cursus contionum in urbe S. Ioannis traditi 1897-1898 de capitalismo et labore (*Capital and Labor*) et de educatione in se trahebant attentionem animorum plus quam communem. Saepe etiam invitabatur ut occasionibus festivis contionaretur, interdum ut confratrem mortuum laudaret.

P. Weigel semper erat Regularum observantissimus, ita ut eius vita Redemptoristis suae aetatis esset exemplar spiritus Congregationis, quem

ipse ab antiquioribus Patribus didicerat. Quamquam venerabilis senex octoginta quinque annorum, tamen pergebat laborare iuvenili ardore usque ad diem 15 Ianuarii 1937. Exercitia matutina sueto more peregerat, sed quum non posset sumere ientaculum, secessit in suum cubiculum aliquo insolito morbo aeger. Decursu temporis matutini apoplexia correptus est in facie, post meridiem delatus ad nosocomium S. Francisci, et eodem die rite munitus ab Adm. R. P. Beierschmidt, Rectore domus, Ecclesiae sacramentis. Per duas hebdomades aeger iacebat orbatus loquendi facultate, donec die 29 Ianuarii mane hora sexta cum quadrante placidissime in Domino occubuit.

Die 31 Ianuarii hora octava vespertina Officium Defunctorum pro eius anima recitatum est, et proximo mane hora decima Missa sollemnis de Requie celebrata a R. P. Alfonso Wolf, qui erat ei cognatione coniunctus, diacono R. P. Michaële Gearin, Consultore-Secretario Provinciali, subdiacono Adm. R. P. Cornelio Warren, Rectore domus studiorum Washingtonensis. Secundum dilecti confratris voluntatem nulla fuit oratio funebris, Missa et *Libera* canebantur cantu Gregoriano. Loco orationis Adm. P. Rector legit ad aedificationem confratrum et fidelium dilecti defuncti testamentum, quod bene exprimebat sensus eius grati humilisque animi. Post *Libera* corpus delatum est ad ecclesiam SS. Redemptoris in via tertia, et Pl. R. P. Provinciali Kuhn ultimam absolutionem impertiente, sepultum est in hypogaeo coram corona confratrum, qui undique frequentes convenerant<sup>1</sup>. R. I. P.